




Medica
1553









DE ARTICVLARI MORBO COMMENTARIVS.

AD .S. D. N. IVLIVM .III. PONT. MAX.

Authore Andrea Lacuna Segobiensi, Medico Pontificio.

Cui accessit Tragopodagra Luciani, iuxta fidẽ exemplarium Græcorum, per eundem Andream Lacunam in Latinam linguam conuersa.



ROMAE.
Excusum apud Valerium, & Aloysiũ Doricos fratres Brixienses.
M. D. LI.

LIBER COMMENDAT SE


Illustrissimo Principi, ac Reuerendissimo Præsuli, D.D. Ioanni à Toleto, Archiepiscopo Diui Iacobi, Compostel. S.R.E. Cardinali Amplissimo.

Inualidos genitor firmauit nexibus artus,
Ire'q; permisit liberiore gradu.
Non igitur, quòd membra labent in corpore tardo,
Ductricem imploro (maxime Præsul) opem.
Nec quia formidem podagræ tormenta minacis,
Quæ per me magnis exulat è laribus.
Verùm in pauperie semper nutritus & umbra,
Proijcio sanctos me nouus ante pedes.
Indutus'q; sago uili cultu'q; profano
Inter eo sacros purpureos'q; patres.
Si pietas, & cana fides, & nominis almus
Affuerit splendor si mihi, tutus ero.
Ergo age, qui nosti articulos & tempus, in ipso
Pontifici me offer temporis articulo.
Sic nunquam articuli ullius patiare dolorem,
Gratia'q; hæc patri sit referenda meo.



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, IVLIO TERTIO, PONT. MAX.

Andreas Lacuna Segobien. S. P. D.



CCVRATIVS apud se pensitantes illi prisci philosophi, q̃ breuis, q̃q; sit mille obnoxia calamitatibus uita hominum, Iuli .III. Romanorum Princeps, atq; Pontifex Maxime, ratione quidem optima dubitarunt, parentem ne, an diram teterrimam'q; nouercam, deberent appellare naturam rerum.

Nam si ætates, & fortunas, & gradus hominum, nobiscum altius examinemus, nulla certè pars uitæ aut conditio datur, quæ grauissimis non sit malis obsessa, innumeris molestijs implicita, cruciatibus'q; perpetuis circumuallata. Id quod pulchrè intelligens ille diuinus Poeta, sic sortem humanam deflet.

Ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι
Ζώειν ἀχνυμένοις. Rursus'q;
Οὐ μὲν γάρ τί πού ἐστιν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς
Πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει.

Et illud.

Τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά.

Quocirca immortales Dij (ut quibus perspectæ sint res humanæ) quos plurimi faciunt, eos citius è uita tollunt, si qua sit Platoni fides habenda. Sic legimus Trophonium et Agamedem, quum templum erexissent Apollini, orassentq; ut daret sibi quod fore optimum iudicaret, obdormiysse perpetuum, neque unquam amplius fuisse experrectos: nimirum Deo ipso nulla re alia posse uotis eorum satisfieri arbitrante, quàm si ab huius uitæ supplicijs eriperentur.

Etenim infans, ubi primùm in lucem recens editus est, uitam ipsam à lachrymis auspicatur, sentiens opinor mala in quæ ingreditur. Qui quidem per totum infantiæ tempus, ex matris papilla pendens, quod pertinet ad uniuersas functiones, non modò quadrupedibus, sed ipsis etiã plantis est infelicior.

Dein balbutire incipiens, sub totiusq; pueritiæ cursũ, quot censoribus, quot pædagogis, quot hypodidascalis, quot plagis atque uerberibus, quot denique misellus carnificinis subditur?

Ingressus adolescentiam, præter grauiora pericula, in quibus quotidie se exercet, ab affectibus animi iam iam tanquam captiuus ducitur. Nunc siquidem amens ac cæcus, præceps in iram rapitur. Nunc totus perculsus animo; trepidat. Nunc inuidia torquetur. Nunc denique in libidinem soluitur.

Porrò uigorem ætatis nactus; quo tempore pe-

ſtilens ambitio inualeſcit, ſi quidem uir coniugatus ſit, miſerè diſcruciatur ſtudio augendi rem familiarem, liberos optimè collocandi, atq; inter omneis conciues ſuos, primos honoris gradus ambiendi. Cui ſanè ſi obtigerit uxor haud perinde reſpondens uotis, domi'q; non ſatis ampla ſuppellex, obruitur omnium malorum lerna. Si uerò ad ſacerdotia inhiet, confeſtim ſiti quadam inexpugnabili affligitur, accumulandi per fas aut nefas, eccleſiaſticos redditus, totus'q; confectus curis & anxietatibus, uiolat iura omnia & diuina & humana, ut ſacras dirpiat opes, quas tamen cras moriturus, uel inuitus, obuio cuiuis relinquat.

Per omneis igitur haſce ætates miſer ſemper atq; infelix quum ſit, qui obſecro in ſenectute homo dici beatus poſſit, quæ diuerſorium omnium incommodorum eſt, fæculentiſſimum'q; totius uitæ excrementum? Nam ut complures alias ſenectutis moleſtias atq; difficultates prætercam, certe nemo neſcit ætatem illam eſſe alumnam plurium grauiſſimorum'q; morborum, quales nimirum ſunt dyſpnœæ, raucedines, tuſſes, aſthmata, uertigines, apoplexiæ, lippitudines, leucophlegmatiæ, hebetudines ſenſuum, dyſuriæ, ſtranguriæ, nephritides, exolutiones neruorum, emproſthotoni, opiſthotoni, tetani, atque ſuperbientes nimis, inſoleſcentes'q; podagræ: ut quæ non perinde ac reliqui affectus, populares tantùm, peſſimáque uictus ratione uſos, inuadant, ſed Imperatoribus, Pontificibusque,

atq; ijs breuiter, ex quibus pendet summa omniũ rerum, atrocissimum semper bellum moliantur: id quod non sine maximo piorum omnium dolore ipse experiris indies, Beatissime Pater.

Nam quum erepto Paulo fœlicis recordationis, exultaret uniuersa Christianorum Resp. eum te nobis tandem cœlitus Pontificem datum, cuius prudentiam atq; uirtutem summam, ipsa maximis in rebus & experta, & esset persæpe admirata: maximo iam mœrore conficitur, dum uidet Principem atq; Ductorem suum, assiduis acerbissimis'q; torqueri articulorũ cruciatibus, id'q, eo præcipuè tempore, quo neruos omneis intendens, deberet nutanti Ecclesiæ, mille'q; sauciæ uulneribus, ferre manus auxiliatrices.

Proinde nihil tam habent in uotis cuncti, q̃ ut summus ille conditor noster, qui te suæ Ecclesiæ præfecit, tibi'q; mentẽ istam diuinam indidit, corporis etiam integram sanitatem largiatur: ut possis uerpos illos ac recutitos canes, iampridem tui gregis cruore ac cædibus pastos, toti'q; quotidie Italiæ, atq; adeò tuæ isti sedi Sanctissimæ, faucibus rabidis inhiantes, baculo isto diuinæ potestatis repellere, contundere, ac profligare.

Quocirca ego longè omnium minimus, rem haud ab officio meo alienam me facturum existimaui, si eorum quæ olim per Hispaniam, Galliam, Angliam, Germaniam, atq; Italiam oberrans, contra dolores articulares uaria & exquisitissima didici,

commentarium quendam conſcriberem, eum'q; con ſecrarem tuo numini: id quod equidem feci, non quòd arbitrarer Sanctitatem Tuam carere præſtan tiſſimis medicis (Sciebam quippe illi perpetuò aſta re Reuerendum in Chriſto Patrem, D. D. Balduinum, Epiſcopum Mariani: necnon ornatiſſimum Virum, Auguſtinum Riccum, Doctores citra controuerſiam Clariſſimos) ſed ut ipſe etiam hoc qua licunque argumento teſtarer meam, erga Beatitudinem Tuam, obſeruantiã: ſimul'q; rem longè gra tiſſimam facerem Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo D. D. Franciſco à Mendozza, Card. Burgen. Patro no ac Mecœnati meo non uulgari: quo interceſſore ſuperioribus diebus dignata eſt Sanctitas Tua me aſcribere inter Medicos, & clientulos ſuos.

Libellum igitur hunc, interpretem meæ propenſionis erga Beatitudinem Tuam, benigno animo ex cipias, Beatiſſime Pater, futurum aliquando anodynum ac præſentaneum remedium, ad arcendos iſtos dolores ſæuos, qui te intempeſtiuè diſcruciant.

Vale.

DE ARTICVLARI MORBO COMMENTARIVS.



ACVLTATES quæ humanum corpus dispensant, sunt quatuor in uniuersum: attractrix uidelicet, retentrix, alteratrix, expultrix: quarum omniũ functiones mutuò planè se excipiunt. Primo siquidem corpus, uel quælibet particula illius, ope attractricis potentiæ, quæ illi ab ortu est insita, congruum sibi alimentum attrahit: dein auxiliante secunda, id quod attractum est, retinet: mox elaborat retentum, conuertitq; in benignum ac familiarem cremorem, idq; opera alteratricis, quæ tertio fuit assignata loco: ultimò denique, facultate expultrice accita, explodit si quid sit in alimento ipso, aut mole nimium, aut qualitate non perinde laudabile: quibus optimè administratis proba partis nutritio atque promotio succedit.

Quum autem elaboratio siue concoctio ipsa sit triplex, una quidem, ac prima, quæ in uentriculo absoluitur, dum cibi in læuorẽ illum lacteum uertuntur: secunda uerò, dum ex hoc gignitur sanguis in iecinore & uenis: ac tertia breuiter, cuius esse munus uidetur, sanguinem assimilare particu-

lis: haud dubie necessum est, ut uaria excrementorum genera suboriantur in corpore: quibus omnibus, uarios poros atque meatus, per quos nimirum expurgarentur, summus ille faber, atq; architectus noster excogitauit.

Quippè crassa & fæculenta excrementa, quæ ex prima illa concoctione redundant, deorsum pressa uersus crassiora intestina, ubi iam exucca sunt reddita, per sedem exterminantur. Quæ uerò ex secunda concoctione (quæ sanguificatio est) supersunt, si quidem serosa sint, per renes ad uesicam destillant: si biliosa, tum per aluum, cuiusdam emolumenti gratia: tum per urinæ meatum, atq; adeò per sudorem & uomitum solent exterminari: ut melancholica & atra, per intestina ipsa, et per hæmorrhoides uenas, quæ in sedem aperiri sunt solitæ. At quæ tertiæ concoctioni debentur (eam enim diximus fieri in particulis) pro natura & situ ipsarum particularum aptam etiam euacuationem sortiuntur.

Musculorum siquidem excrementa, præcipuéq; illorum qui subiecti sunt cuti, per sudorem atque insensilem transpirationem discuti consueuere: Cerebri autem, quæ quidem crassiora sunt, per palatum & nares defluunt: quæ uerò fuliginem referunt, per caluariam ad pericranium transpirant, inibiq; generandis capillis sese materiam exhibent: ac de aliarum partium excrementis similiter iudicandum.

Quandiu igitur uniuersæ corporis partes sese optime habuerint, fuerintq; salubri constitutione prædítæ, redundantes in corpore humores, siue qualitate, siue quantitate molesti sint, per conferentia semper loca excernuntur, nulla illarum eos recipiente, sed ad unam omnibus eorum impetum longè à se propulsantibus.

Si uerò nonnullæ ipsarum aliqua imbecillitate aut intemperie teneantur, infestus humor à fortioribus ad imbecilliores exterminabitur, atq; ab his rursus ad alias: tandem'q; ad omnium imbecillimas pulsus, in eis & hærebit, & pro illarum, & sui ipsius natura, excitabit morbos.

Nam si decumbens quidem humor sit sanguis: pars aūt in quā fit impetus, cutis, edet efflorationes, siue exanthemata. Si rursus ille in pleuram, hoc est, in membranam succingentem costas, decumbat, excitabit pleuritidem: ut si in articulos imbecilliores redditos, morbum articularem, de quo uno impræsentiarum nobis est disputandum.

Porrò arthritis, hoc est, articularis morbus, genus ad uertebrorum omnium dolores quum sit, sub se uarias species ambit. Nam si dolor articulos pedum infestet, podagra is affectus dicitur: si torqueat manus, chiragra: ut gonagra, si genu dolor obsideat. Semper quippe ab affecta particula sumit morbus appellationem.

Requiritur itaq; ad articularis morbi generationem, articulorum imbecillitas aliqua insignis, &

ſuccorum oberrantium per corpus aut plenitudo, aut cacochymia, unà cum uiſcerum robore, quod podagros maiori ex parte macrobios efficit.

Imbecilli redduntur articuli ob intemperiem aliquam ſimplicem, uel compoſitam: ob ictum aut contuſionem uehementem: ob exercitia improba: necnon ob immodicam uenerem. Sunt qui ob uitium ſeminis ab ortu contraxerunt imbecillitatem articulorum: ita ut morbus illis & genuinus, & hæreditarius uideatur. Quippe non æquè facilè unà cum ſemine à parentibus transfluunt uirtutes in liberos, ut uitia & morbi.

Plenitudinem ſuccorum in corpore accumulant, immodicus cibi atq; potionis uſus, diuturnus ſomnus, ac denique deſidia & ignauia. At cacochymiã, quum hæc ipſa, tum uel maximè plurium ac uitioſorum ciborum eſus: immodica feruentiſſimorum potio: uigiliæ immenſæ: uenus & nimia, & ſtatim à cibo inita: prodigioſus frigidiſſimarum aquarum ex niue, aut ſale nitro, præcipuè poſt fructus horarios, uſus: ac deniq; uehementes animi affectus: ut qui non modò gignant prauos in corpore ſuccos, ſed eos etiam ipſos ad imbecilles articulos adigant.

Quum uerò ex ipſis uitioſis ſuccis alij ſint pituitoſi, alijillioſi, alij denique melancholici: ab his omnibus excitari dolor articularis poteſt, atque etiam à ſanguine, ſi quando impetum in aliquem articulum faciat.

Distinguetur autem facile, à quo humore ipse affectus gignatur, quum ex colore oblæsæ particulæ, tum ex doloris specie, atq; adeò ex multis alijs symptomatis.

Nam si sanguis morbo occasionem dederit, locus affectus rubet, intensè calet, dolet, tenditur, tumet cum pulsatione, renititur'q; tangenti.

Si bilis in causa fuerit, pars suppallida cernitur, feruentissimo calore inflammatur, dolore'q; acerrimo affligitur: non tamen premitur grauitate, aut in tumorem mentione dignum attollitur, sed quasdam serpentes pustulas, formicarum instar, ut plurimum per summam edit cuticulam.

Atra bile infestante, tumor quidam liuens, contractus, durus, cum remisso calore ac dolore, sedem affectam occupat.

Vbi morbum pituita genuit, tumor exurgit albicans, frigidus, laxus, mollis, ac prementibus cedens.

Taceo dolores à bile ac sanguine inductos, remitti usu refrigerantium: eos autem qui ab atra bile, ac pituita sunt orti, sedari præsidio calfacientium.

Contingit etiam, nec raro, à flatu aliquo incluso, distendente'q; particulas, excitari dolores articulares. Hos tamen ab alijs quos affluxus humorum genuit, uel solo tactu discernes. Nam quum primò tumor prementi cedat, confestim amoto digito attollitur, ueluti inflatus uter. Dolor præterea ipse

neutiquam fixus hæret, sed uagabundus oberrat, ac modò hanc, modò illam torquet particulam.

Cæterùm maiori ex parte dolor articularis à præpollente oritur pituita, cui nonnihil aliorum humorum permistum sit.

Nec uerò leuiter confert ad cognoscendam causam morbi effectricem, temperiem ægri, præteritam uictus & exercitij rationem, ætatem etiam, & cum his constitutionem temporis, accuratè consyderare.

Porrò ineunte Vere, malum ingrauescit sanguineis, qui articulari morbo corripi consueuere: æstate biliosis: autumno denique melancholicis: nam pituitosi, ceu mille agitati furijs, acrius hyeme ingemiscunt.

Si igitur à solo sanguine oriatur, morbus'q; alterum pedem, uel crus, obsideat, in primis aluo soluta, uel glande, uel molli clystere, interior uena cubiti, loco affecto correspondentis, tundenda est, detrahendus'q; sanguis pro natura & uiribus ægrotantis. Si correptus uterque pes fuerit, uenam utriusque cubiti scindere operæprecium erit. ex sanguine curatio

At si pars affecta sit manus, ex cubito illi opposito sanguinem detrahemus, nisi fortè laboret mulier, cui menstruæ purgationes defecerint. Tunc siquidem præstiterit ex malleolo subdito sanguinem euacuare: sicuti ex utroque malleolo, uel in uiris, si utraque manus affecta fuerit.

Huiuſcemodi reuulſione obſoluta, fouendus locus affectus ijs eſt, quæ dolorem refrigerando leniant, affluxum humorum ſiſtant, digerendiq; aliquam facultatem ſortiantur: cuiuſmodi exiſtit cataplaſma quod ſequitur. R. Olei roſacei unc. iij. lutea ouorum numero. ij. ſucci lactucæ unc. ij. farinæ hordei unc. i. S. aceti roſacei unc. i. confundito & admoueto.

Tumore iã ſubſidente, contrahenteq; liuorem, admouebimus aliud, quod magis molliat ac digerat, cui negotio uidetur eſſe congruum quod ſubditur. R. Olei roſacei & chamæmelini, anà unc. ij. farinæ fabaceæ, fœnigræciq;, anà unc. i. roſarum, meliloti, anà drach. ij. mucilaginis rad. altheæ, unc. i. S. fiat cataplaſma.

Vltimò deniq; omnium applicanda ſunt ea, quæ facultate molliendi prædita, paulo uehementius diſcutiant, ut gratia exempli. R. Olei roſacei, anethini, ex lilio albo, & de amygdalis dulcibus, anà unc. i. ſucci apij, unc. i. S. mucilaginis altheæ & ſeminis lini. anà unc. viij. ſeui hircini, unc. S. Bulliant omnia ſimul uſq; ad mucilaginum conſumptionem. Poſtea pinguitudo excoletur, iniectaq; modica ceræ albæ portione, in unguentum cogatur: quod ubi refrigeratum fuerit, abluendum eſt aceto roſaceo.

Quia uerò nunquam ſponte decumbit ſanguis in partem aliquam, niſi dum impendio tenuior & bilioſior eſt redditus, maximè expediens fuerit, aliquo cholagogo bilem ipſam, quæ illum excitat, ac

ueluti manu ducit, purgare.

Cæterùm quia uerendum est, ne si bilis, prius q̃ refrigeretur, retundatur'q; acrimonia ipsius, trahatur ad intestina, in eis aliquam excitet dysenteriam, non ab re fuerit, ægro per dies tris mane hanc propinare potiunculam. R. Syr. uiolacei, & de endiuia, anà unc. i. aquæ hordei, unc. iiij. confundito & propinato.

curatio ex bile genit morbi

Quarta porrò die offeremus illi huiuscemodi pharmacum. R. Pulpæ cassiæ fistulaceæ, drach. vi. radicis barbaræ, infusæ in aqua end. expressæ'q;, scrup. iiij. Syr. ex nona infusione rosarum Alexandrinarum, unc. ij. S. Dissoluantur omnia decocto hordei, propinentur'q;. Augenda tamẽ, minuenda'q; quantitas medicaminum est, iuxta ægrotantis naturam ac robur: qui quidem si sit Vir Princeps, aut pecuniosus, cassiæ loco, indere uncias duas mellis aërei, quam mannam uocitant, poteris: quòd hæc sit longè gratior palato.

Eadem medendi ratio, quod petinet ad purgationem, atque remedia topica, desyderatur etiam in eo articulari morbo, quem bilis peperit: paulo tamen refrigerantior & humectantior. Proinde in illo extrinsecus utemur succis lactucæ, solani, hyoscyami, nymphææ, plantaginis, atque alijs id genus: quibus indere commodè possis cerussam, spodium, rosas, bolum Armenum, caphuram, atque eiusdem farinæ complura alia.

Quòd si dolor his non cedat præsidijs, adijcienda

leuis quædam portiuncula opij prædictis est, ad extinguendum quidem feruorem bilis, facultatem autem sensitricem retundendam, ac ueluti soporandã.

Quia uerò haud ita crebrò solet à sola bile morbus hic excitari, rationi uidetur consonum, ut ad reliqua persequenda nos conuertamus.

curatio humoris melanchonici

Si aliquis melancholicus humor dolorem articularem induxerit, sanguis'q; ater exundarit per uniuersum corpus, euacuandus is est, primò quidem, secta in sinistro cubito interiori uena, nisi fortè dolor manum sinistram inuaserit: dein uerò, hirudinibus sedi admotis.

Detracto melancholico sauguine, per dies quatuor, huiuscemodi propinabis ægro Syropum. R. Syr. uiolacei & ex fumo terræ, anà unc. i. aquæ lupuli, unc. iiij. misceãtur, ac diluculo propinentur.

Quarta uerò die sub noctem, tribus horis post cœnam deglutiet catapotia subdita. R. massæ pil. ex fumo terræ, aggregatiuarum, & de hermodactylis maioribus, anà scrup. i. agarici trochiscati, grana .vi. fingantur sphærulæ quinque, instillatis guttis aquæ capnoidis. Vel si æger illas deuorare non possit, quinta die summo mane bibat huiuscemodi pharmacum. R. Diacatholicon, unc. S. diacharthami, confectionis Hamech anà drach. ij. agarici troch. infusi in aqua lupuli. & expressi, drach. i. dissoluantur in decoctione communi; cui addideris cyperum & polipodium quernum.

Remedia topica debent esse facultate discutiendi

simul

ſimul & emolliendi prædita. Tumores ſiquidem melancholici, ſi qui alij, uel maximè in ſcirrhos degenerant, ubi medicus imperitus, cupiens illos diſcutere, utitur medicamentis admodum digerentibus, & quibus nulla emolliendi uis inſit.

Primò itaq; tractabimus illos, hoc ſmegmate administrato. R. Olei chamæmelini, anethini, & illius quod amygdalæ dulces fuderunt, anà unc.i. butyri recentis, unc.i.S. lomẽti fabacei, unc.S. miſceantur, applicenturq;.

Vbi hoc uſus remedio dies aliquot fueris, tumori iam tractabiliori reddito admouebis emplaſtrum quod ſubditur. R. Emplaſtri de meliloto, unc.ij. diachylõ Razes, unc.i. Ammoniaci diſſoluti in aceto drach.i. confundantur & applicentur.

Tumores flatuoſos, doloresq; à flatu excitatos, diſcuties, uel hoc ſolo emplaſtro adhibito. R. Seui hircini unc.ij. medullæ uitulinæ, unc.i. olei chamæmelini, unc.S. pul. florum chamæmeli, meliloti pullegij, anà drach.i, cymini, ſem. rutæ, anà drach.S. Semina & flores redacta in tenuiſſimum pollinẽ, incretaq;, liquefactis illis miſceantur.

Si articulos infeſtet pituita (nunquã autem ſolet hæc pura, ſynceraq;, ad illos confluere, ſed perpetuo aliqua illi portio bilis, aut ſanguinis permiſcetur, à qua ueluti concitatur, craſſa & inepta ad motum quum ſit) concoquendus is humor eſt, ægro per dies aliquot tali ſyropo exhibito. R. Rhodomelitos, ſyr. de ſtœcade ſimplicis, anà unc.i. curatio pituita molestante

B

aquæ maioranæ, unc. iiij. misceantur.

Pituita concocta educatur hoc medicamento epoto. R. passularum mund. hyssopi, maioranæ, glycyrrhizæ, polypodij querni, anà unc. S. stœcados, p. i, coquantur ut decet, atq; in decocto excolato, distemperentur diacatholicon unc. S. diacharthami, drach. ij. agarici infusi in aqua maioranæ, & expressi, scrup. iiij. Syr. ex nona infusione rosarum Alexandrinarum, unc. i. S. fiat potio, propineturq;.

Vel si magis arrideant ægro, poteris offerre illi catapotia sequentia. R. Massæ aggregatiuarum, arthriticarum, & de hermodactylis mai. anà, scrup. i. agarici troch. scrup. S. fingantur quinque, instillatis guttis aquæ sampsychi. Quæ quidem uacuationes non semel, aut iterum, celebrandæ sunt, sed repetendæ toties, quoties ex usu fore uideantur.

Quod pertinet ad remedia topica, nihil est quod æquè leniat articulares dolores à pituita pura, uel miscellanea, ortos, ac facit hoc smegma quod subditur. R. Succorum rad. chamæactes, unc. ij. suc. apij & rutæ, anà, unc. i. olei rosacei, chamæmelini, & irini, anà, unc. iij. terebinthinæ pellucidæ, unc. i. Vermium terrestrium extinctorum in uino Cretico, & dissectorum, unc. ij. S. Bulliant omnia simul usque ad consumptionem succorum. Dein excolatis oleis, ceræ quantum sit satis adijcito, ut in unguentum mediocriter corpulentum cogantur: quod abluatur tandem guttis uini albi odorati.

Hoc etiam cataplaſma quod ſequitur, præſentaneum remedium eſt, ad arcendos articulares dolores à frigidiſſimo humore excitatos. R. Euphorbij, pyrethri, caſtorei, piperis, caryophyllorum, ſalis communis, anà, unc. S. omnia excipiantur feruenti ſapa, exceptáq; admoueantur.

Si ne ſic quidem ſedetur dolor inexorabilis, erigendum tentorium eſt, ea uaſtitate altitudinéq;, ſtantem quæ poſſit hominem capere: intra quod quidem tripus conſtitui debet, ut ſupra ipſum æger exutus ſedeat.

Iam uerò ſub tripode peluis eſt collocanda, eáq; plena decocto plurium atq; optimarum herbarum, cuiuſmodi exiſtunt ſaluia, ros marinus, hyſſopus, ſampſychus, ſpica Celtica, ſtœcas, puliegium, origanus, calamintha, chamæacte, chamæmelum, melilotus, atque aliæ id genus: quæ omnes lixiuio & optimo uino incoquendæ ſunt.

Inijciendi autem ſigillatim ſunt intra peluim candentes ſilices, ut decoctum frigeſieri non ſinant, ſed ipſum concalfaciant, ex eóq; copioſum uaporem edant: quem nimirum æger toto corpore excipiet, ac præcipue læſis particulis, donec ingenti ſudore oborto, elangueſcere totus uideatur. Satius autem eſt ægrum ſæpius ac repetitis uicibus ad ipſum tentorium ducere, quàm ſemel illum exhauſtum reddere. Memineriſque aluo ſoluta, & ieiuno ſtomacho eum introducendum eſſe.

Quod si æger impatienter ferat angustiam illã, per aliquam ipsius tentorij rimulam permittimus ut os atq; nares edat: quo frigidi aëris uicissitudine cor æstuans qualecunq; refrigerium excipiat.

Inter sudandum porrò membra læsa perfricanda proprio madore sunt: ac postea, ubi sudor abstersus fuerit, uidelicet ægro iam egresso tentorium, deungenda smegmate illo, quod ex succo chamæactes constat.

His peractis, ueluti auctario quodam, ad corroborandos articulos, discutiendos'q;, si qui subsint illis, humores frigidos, huiuscemodi uti soleo suffimine. R. Thuris, mastiches, sandaraches, anà unc. i. ladani puri, ben Iudaici, anà. unc. S. cinamomi electi, caryophyllorum, nucis unguentariæ, maceris, agalochi, anà drach. ij. hyssopi, maioranæ, saluiæ, rad. ireos, anà drach. iij. moschi purissimi, grana. vi. mucilaginis gummi tragacanthæ, soluti in uino Cretico, drach. v. Formentur trochisci plurimi, quorum singuli pendant tris drachmas: conijciantur'q; sigillatim unus post alterum in prunas testæ impositas, donec æger totus sudore madens exolui incipiat. Qui sane sub illo eodem tentorio (ut antea expositum est) illam exhalationem uniuerso corpore excipiens, curiosè fricabit membra, ore tantùm & naribus per exiguum tentorij foramen editis, ne scilicet ipse suffitus gignat capitis grauitatem. Atq; hæc quidem medendi ratio, doloribus à Gallica lue excitatis similiter auxiliatur.

Dolore inclementissimo urgente, cogimur interdum uti narcoticis, inducentibusq́; torporem medicamentis: quorum tamen usus haud quidem tollit dolorem, sed sensum particulæ extinguit, neruosq́;, per quos fit sensus, stupefacit. Ac proinde ipsorũ usus maiori ex parte solet perniciosus existere. Quare si absq; illis dolor sedari possit, neutiquam administranda sunt. Si uerò adeò is incrudescat, ut uireis prorsus deijciat, satius est anceps experiri remedium, quàm ægrum ipsum, in sæuissimis cruciatibus, ac uitæ discrimine constitutum, deserere: quũ possimus noxam à meconio illatam, postea præsidio calfacientium corrigere.

Ergo si quando in eam adigamur necessitatem, utemur commodè hoc linimento quod subditur. R. Olei costini, unc. i. Euphorbij, castorei, singulorum unc. S. opij drach. iij. croci drach. i. misceantur instillatis guttis uini Cretici, applicenturq;.

Absurdum autem omnino est, quod pleriq; medici factitant, uti humano stercore, aut lotio, ad pellendos articulares dolores: quum præsertim suppetant nobis tot tamq́; admiranda medicamenta, quæ in communem usum hominum diues Natura rerum suppeditauit.

Sæpenumero etiam ad extirpandos articulorum dolores à causa frigida inductos, consueuimus uti decocto ligni Indici, quod in hunc modum administratur. R. ligni Indici electi, & rasi, lib. i. aristolochiæ rot. unc. i. cyperi, costi, baccharum lauri, sing.

unc.S. glycyrrhizæ rasæ.unc.i.S. Coquantur omnia in lib.xij. aquæ fontanæ, ac totidem uini albi odorati, usque ad lib.viij. Dein excolatus liquor, infususq; uitreæ pyxidi, reponatur in subterraneo loco. Ex quo quidem admodum calfacto propinandæ sunt ægro singulis diebus mane unciæ .viij. ac totidem uesperi: curandum'q; ut contectus sudet. Tempus autem huic negotio aptum, est Vernum, uel autumnale.

At uerò ubi excolatum primum illud decoctum fuerit, infundendum rursus tantundem ac prius fuit, tum uini, tum aquæ, in eadem iam præcocta ramenta est: permittendum'q; ut bulliant, donec tertia pars absumatur: qua exhausta, percolandum ipsum decoctum est, reponendúmque ut prius, in usum quotidianæ potionis.

Quum autem nemo nesciat, tenui uictus ratione, exiccanti'q;, esse utendum per totos triginta dies, quibus hoc decoctum administrabitur, non est quod ea in re tempus conteram. Hoc tamen meminisse conuenit, ter euacuandos esse medicamento purganti, quibus ex usu futura est talis medendi ratio: semel quidem in ipsis auspicijs primis: secundò post exactam quintam decimam diem: ac tertiò denique, triginta diebus peractis.

Administratur etiam, neq; infelicicer, in articulari morbo, decoctum illius plantæ Indicæ, quam

Hiſpani, Zarzam parrillam uocant: cuius ſanè diſpenſatio eſt talis. Accipiunt enim clauiculorum illius libram unam, quam per diem ac noctem infundunt in libras uigenas aquæ, donec ipſa planta intumeſcat. Poſtea minutatim ſciſſam decoquunt illam in ea ipſa aqua, in qua uidelicet præmacerata fuerat, idq; uſque ad conſumptionem mediæ partis. Dein uerò, decoctum ipſum excocolant, ex eoq; modicè calfacto, prima quidem die libras .V. propinant, nimirum diſtributas in uices .V. interiectisq; duabus uel tribus horis inter potionem unam & alteram: ſecunda autem, quatuor: tertia tres: quarta duas: quinta denique ſingularem: quam deinceps ſingulis diebus mane propinare uſque ad uigeſimam diem non ceſſant.

Eſt autem decoctum hoc guſtui prorſus inſipidum, nec ſcio qua facultate tam potenter uomitum cieat, ut uel ex ipſis extremis unguibus per os humores craſſos eliciat: quo nomine unicè articulorum doloribus auxiliatur.

Conſueuere porrò qui hac medendi ratione utuntur, per biduum integrum interdicere cibo ac potu ægrotantibus: quos tertia die iam reficere tenuiori alimonia incipiunt, adijcientes indies atque paulatim ipſius plenitudini uictus: offerenteſq; in quotidianam potionem, aquam quidem, ſed in qua leuis illius plantæ portio modico feruore decocta fuerit.

Zarzę parrilla decocto

Allata etiam ab extremis Indis Chinna radix haud ita pridem est, præcio potius, q̃ effectu aliquo salutari, insignis. Cuius decoctum olim celebrabatur mirè, contra dolores articulares. Cæterùm postea quàm experti sunt cuncti, ex usu illius non tam profligari morbos, quàm opes institorum augeri, nomen eius cœpit apud omneis uilescere.

Solent autem in articulis interdum pori concrescere, ubi humor crassus & uiscidus, impactus illis, fuit admodum torrefactus, id'q; à medicamentis nulla emolliendi ui præditis, sed extremè calfaciẽtibus, ac resiccantibus. Qui quidem ut discutiantur, in primis assiduè fouendi sunt hydrelæo modicè calido, ut tum ipsius madore medicamẽti, tum sanguinis commercio, qui attraherur ad affectam particulam, & emolliatur eorum durities, & longè tractabiliores reddantur. Dein uerò illis est hoc admouendum emplastrum. R. Casei admodum inueterati & putris, unc. i. terebinthinæ claræ, drach. ij. cinnabareos drach. i. subigantur omnia decocto pernæ porcinæ præ uetustate rancidæ, applicentur'q;. Paucis siquidem diebus suppuratus porus, & ruptus, reddet quicquid inest illi crassi & uiscidi humoris. Quo expresso, abstergendum ulcus relictum est, ad cicatricem'q; ducendum, medicamentis ad id opportunis.

Quod pertinet ad uniuersam uictus rationem articulari morbo afflictis congruentem, si quidem à flaua bile syncera is affectus oriatur (quod nunquã, aut perraro, contingit) tota esse debet humectans,

atq; refrigerans: si à purissimo & copiosissimo sanguine, refrigerans atq; siccans: si ab atra bile, humectans simul & calfaciens: ut si à crassa & lenta pituita, calfaciens prorsus & siccans: qualis etiam uidetur conuenire illis, quibus inclusus flatus ipsam conciliauit arthritidem.

In uniuersum autem, uesci omneis ijs cibis debent, qui et facilè concoquantur, et in corpore probos humores gignant: ut omnino sese abstinere ab illis, quæ succos crassos, ac lentos, procreant: cuiusmodi existũt lactaria, pisculẽta, panificia, et pistoria oĩa.

Cibi ergo expedientes eis, sunt gallinacei pulli, capones, turtures, coturnices, phasiani, columbæ iuniores, turdi, ficedulæ, merulæ, alij'q; id genus, qui in syluis degunt, passerculi. Nam ab aquatilibus eos prorsus abstinere hortor.

Ex quadrupedum carnibus intrepidè possunt uti arietinis, hœdinis'q;: bubulis atq; suillis omnino ualere iussis: cum quibus relegarem & uitulinas, quę uiscida humiditate redundent, nisi qualitatum ratione, quodammodo uiderentur ex usu esse arthritidi à flaua bile excitatæ. Iam uerò cuniculi teneri, hinnuli'q;, maximè commendantur.

Ex piscibus, ne hæc institutio nostra nimis seuera, & superciliosa uideatur, solea, turtur, perca, gobio, asellus, & mullus, ut alij pisces, præsertim si assi edantur, non sunt usq; adeò damnandi. Quocirca modicus eorum usus nocumentum mentione dignum non adferet. Oua recentia & tremula, pro-

bè alunt, ac facilè concoquuntur: necnon Damascena pruna, & lac ex amygdalis pressum.

Panis porrò sit purus, bene coctus, ac optimè fermentatus. Vitanda uerò ea penitus, quæ azyma nominantur, ex quorum genere sunt placentulæ, quas ex lacte & farina uulgus pistorum conficit.

Omnes horarij fructus, quia facilè computrescunt, circuncidendi sunt: ut mora, cerasa, melopepones, mala Persica, & fraga, quæ hodie & ex lactis spuma eduntur, et Principibus in delicijs sunt, cibus certè ad conciliandam podagram aliorum omnium efficacissimus. Nam tametsi nonnulli ex fructibus suarum qualitatum ratione, ꝙ uidelicet frigidi & humidi existant, uideantur congruere articulari morbo à bile excitato detentis, haud dubiè propter substantias corruptioni paratas, relegari ab omnibus debent: ut etiam olera cruda, leguminaq́;: quorum illa quidem, ægerrimè concoquuntur: hæc autem, in succos flatulentos degenerant.

Potus, quo utentur, sit uel oliogophorum uinum, in medio albi atque nigri consistens, quale Galli hodie claretum nominant: uel aqua, in qua modicum mastiches & cinnamomi modicè feruefactum fuerit. Vinum quippe fluxiones proritat: aqua autem sic præparata, earum impetum sistit, simulq́; uentriculum roborat. Vnde complures noui iam ingrauescentes ætate, qui quum antea mor-

aque poho

bo articulari assiduè torqueri essent soliti, postea commutato uini usu in huiuscemodi aquæ potionem, nunquam amplius in eum inciderunt. Nec uerò obest, quod obycere calumniator aliquis posset, ipsius cinnamomi calor: quandoquidem caliditas eius, in uentriculo, aut iuxta primas uenas, extinguitur.

Circa exercitia uerò, nemo est qui nesciat, affectis quidem cruribus, brachia exercenda esse: crura autem, si male brachia afficiantur: id quod hodie cuncti podagri obseruant: qui quidem uel ipsa natura edocti, perpetuò sedent: atque alij chartis, alij tesseris, alij deniq; ludo latrunculorum, sedulam operam nauant.

Venus immoderata, intempestiuaq;, hoc est statim à cibo inita, in articulari morbo piacularis ac longè pernicioßima est. Quæ quidem si erecto incatur corpore, crura ipsa magnopere labefactat. Qua sanè occasione morbifica eunuchi priuati quũ sint, haud corripiuntur podagra, nisi fortè ob magnam intemperantiam: sicuti neque pueri ante uenerorum usum, nisi eam hæreditario iure contraxerint. Verùm si modicè, opportuneq; in Venere sese quispiam exerceat, conducit admodum, nimirum turgentes succos discutiens, corpusq; agile reddens.

Somnus actutum post cibum captus, articularem solet morbum accersere, crudos humores gignens: nec secus exercitia uehementia.

Inſignes, repentinæq́; perturbationes, quum non modò commoueant animos, ſed etiam immutent corpora, ſæpenumero dolores articulares excitant: id quod equidem in nonnullis podagræ obnoxijs experimento didici: qui quum ira perciti, in famulos, aut in alios quoſuis excandeſcerent, ſubitò ac præter expectationem conſueto morbo corripiebantur: uidelicet cõmotis ab ipſa perturbatione humoribus, exceptisq́; ab artubus infirmioribus. Quare tollendæ omnes occaſiones eæ ſunt, quæ ad irã prouocant.

Vt uerò & de habitatione ipſa nonnihil etiam dicamus, domus quam incolent, ſit ſublimis, tabulatáq́;, atq; ad Solis ortum conuerſa. Quæ quidem ſic arte contra omnes tempeſtates ac temporum exceſſus munienda eſt, ut ſemper temperamenti mediocritatem tueatur.

Qui certa uiciſſitudine temporum corripi articulari morbo ſunt ſoliti, ante ipſius acceſſionis inſultum debent bis in anno purgari: ac ſi opus eſſe uideatur, uacuari ex uena: nempe Vere, atq; Autumno, aduentantibus. Malè ſiquidem tecta inſtaurantur, dum tota domus compluitur.

Interpolatis autem diebus, quatuor horis poſt cœnam, deglutiant unum uel alterum catapotium ex his quæ ſubdam, ad roborandos articulos, deijciendam leniter aluum, prohibendumq́; ne uitioſi ſucci accumulentur in corpore (quorum maxima eſt habenda ſolicitudo) admodum efficacia. R. Aloes lotæ drach. iij. agarici troch. drach. i. centaureæ,

drach .S. cort. myrob. citr. hermodactylorum, ana unc. S. mastiches, scirup. ij. conficiantur cum cydoniorum succo.

Si procliues ad uomitum sint, prouocetur is semel in mense, pinna intincta oleo per os inserta: uel oxymelite quod scilliticum uocant, uel decocto radicularum, administrato. Nam quum uomitus maximè ab extremis reuellat partibus, præsentaneum remedium est contra morbi articularis, tam futuri, quàm iam affligentis, tyrannidem.

Iam uerò, inter omnia prophylactica auxilia, mustum recens, ad roborandos articulos unicè commendatur. Cuius rei haud ignarus Guardianus quidam ordinis Diui Francisci apud Aureliam, quũ discruciaretur arthritide, in dolium plenum efferuescentis musti semper ineunte Autumno totus nudus unctusq; se conijciebat, sentiens inde magnam utilitatem: ac postea pessimus sycophanta, uinum illud in quò ipse nauerat, & fortè etiam minxerat, misellis fraterculis suis propinabat. Ad prophylacticem etiam pertinet, exhibere hyemali tempore senibus terebinthinam Venetam, lotam, et sacchraro in sphærulas glomeratam: idq; singulis diebus, ac sex ante prandium horis.

Interdum etiam & antidotum Mitridatium, & antiquam Theriacem, ex aqua hypericonis ipse propinare sum solitus: quæ tamen ante absolutas euacuationes exhibenda non sunt. Atq; hactenus de articulari morbo.

Quia uerò & sub illo ischiadicus morbus comprehenditur, articuli iuxta coxondicem dirus affectus quum sit, præter generalem curationem ipsius, quæ fusiorem commentationem postulat, hoc tantùm admonebo lectorem impræsentiarum, me nonnullos eorum qui tali morbo complures menses & annos afflicti & consumpti fuerant, in pristinam ualetudinem quàm citissimè restituisse, post uaria omnigenaq; remedia frustra & incassum administrata, illis tandem transuersim usque ad radicem usta candenti ferro ea chartilagine, quæ in duas cauitates dispescit internam regionem auris affecto loco ex aduerso sitæ: uel utriusque, ubi coxendix uterque detineretur ischiade. Quod præsidij genus fateor me neque apud aliquem authorem legisse: nec potuisse unquam penetrare ad ueram causam illius: nisi fortè dixerimus, ob dolorem illum acerrimum, repentinumq;, ustæ particulæ illatum, confertim confluere illuc unà cum naturali calore, ferendi suppetias gratia, uniuersos humores corporis, etiam eos, qui in articuculis uehementer impacti hærent: ut solet fieri in naufragijs, aut in maximis triremium incendijs: ubi non modò milites atque nautæ, sed ipsi etiam remiges uincti, uiolenter ruptis ac disiectis cathenis, communi periculo accurrunt. Cuius sanè argumentum uidetur esse, ingens illa prodigiosaq; humorum, quæ per ulcus inustum fit, euacuatio. Quæ quidem uniuersalis quum sit, non

solùm ischiade correptos, sed afflictos etiam compluribus alijs affectibus liberat. Quæ ratio si eruditis non satisfaciat, ipsi comminiscantur saniorem, eam'q; studiosis communicent, in quorum gratiam hæc qualiacunque conscripsimus.

FINIS.



TRAGOPODAGRA LVCIANI.
Andrea Lacuna Segobien. Interprete.

PERSONAE.

Podager, Chorus, Podagra, Nuncius, Medici. Cruciatus.

Præfatur Podager.



Nomen tetrum, Dijs'q; ipsis inuisum Podagra. O innumeris plena suspirijs Cocyti proles, quam in obscurissimis inferorum hiatibus suo ex utero exclusit Erynnis Megæra, uberibus'q; lactauit Alecto, lac in osculum infantis amarulenti instillans, quis Dæmonum tandem te execrandissimam emisit in lucem, tantam ut hominibus inferres cladem, atque calamitatem? Nam si ij qui iam excesserunt uita, ob flagitia quæ patrarunt dum uiuerent, supplicio aliquo apud inferos affici debent, quorsum Tantalus in Stygia illa palude torquetur siti, aut Ixion uoluitur rota, aut Sisyphus denique relabente semper saxo cruciatur? Satius etenim fuisset, si qui pessimè se hac in luce gesserunt, tuis exercerentur doloribus articularibus: ut miserum hoc meum, ta-

bidum'q; corpusculum, quod ab extremis manibus, usq; ad bases pedum, putrida quadam sanie, bile'q; amarulenta, distringitur, uiolento quodam spiritu per poros huc & illuc oberrante. Qui quidem dum occluditur, miserabiliter intendit dolores. Iam uerò uiscera ipsa flagrant ardentissimo incendio, quod repetitis flammarum insultibus, ita meam depascit carnem, ut dicas ipsam similia pati cum illo AEtnæ barathro, ex quo semper ignis expirat: aut certè cum mariuaga Siciliæ uoragine, ubi maxima tempestate ingruente, tumescens mare per scopulorum cauernas procellosa circumuolutione iactatur. O dolor inexorabilis, cuius finem humana coniectura uix unquam assequi poterit, quàm incassum omnes te demulcemus, friuola uana'q; tantùm spe deliniti.

CHORVS. Iuxta Dindymum Cybeles, ululabili sublato clamore, Atti tenero suam Phryges perficiunt solennitatem. Lydi qui circa Tmœli cacumen habitant, dum Cœmo suas preces fundunt, instar cornicinis Phrygij, eximiè uociferantur. Stupidi Corybantes Cretensium rhythmo, medio in armorum strepitu, Euantis orgia resonant. Grauisonans tuba rumpitur, strenuò Marti strepitus belli modulans. Nos autem tui Sacerdotes, ò Podagra, miserandam tibi fundimus lamentationem, iam iam ineunte Vere, gramnifera dum prata suis herbis uirent, arbores'q; Zephyro suauiter perspirante, suis frondibus decorantur: quo tempore illa infeliciter nupta Chelidon, incipit per domos garrire,

per syluasq́; Philomela nocturna funestis lachry=
mis deflere suũ Itym non desinit. PODAGER.
O mearum refrigerium calamitatum bacule: o ter=
tij pedis officium subiens, tremulos istos gressus me=
os corrobora, adeóq; ad dirigendum iter accingitor,
ut possim tutò figere pedem. Age infœlix, extrahe
iam ista membra à cubili. Vmbratile tugurium
istud relinque, disijciensq́; à conspectu nostro hanc
aëris caliginem, & densitudinem, erumpe foras,
fruereq́; Solis lumine & splendore, ac recreare cla=
ra spiritus uicissitudine. Quintadecima siquidem
iam agitur dies, postea quàm uniuersa luce priua=
tus in tenebris delitesco, in lectóq; omnino incom=
posito, miserum hoc corpus contero. Enimuero ad
incedendum egrediendumq́; animus est promptissi=
mus, cæterùm membra languida & pigra minimè
acquiescunt uoluntatis imperio. Vtcunq; tamen sit,
acriter impellito, ò anime, si illud est iam tibi in con
fesso, podagricum simul atque mendicum, uolentem
quidem ingredi, sed non ualentem, esse inter mor=
tuos annumerandum. Sed hem? Qui nam sunt illi,
qui acteæ folijs capita redimiti, baculis innituntur?
In cuius insuper Dei honorem choro adeò lasciuien
ti tripudiant? Nunquid ò Phœbe Apollo, in tui ue=
nerationem fiunt illa? At non gerunt corollas ex
Delphica lauro confectas. An uerò celebratur ali=
quis Bacchanalis hymnus? Atqui ne minimum qui
dem hederæ signum in ipsis corollis cernitur. Qui
tandem uos existentes conuenistis huc, Viri? lo=

quimini, mihiq; uera narrate. Dicatis præterea ò amici, quæ nam ea Dea ſit, quam uſqueadeò hymnis effertis? CHORVS. Tu uerò quis, aut ex quibus exiſtens, nos percontaris? Nam, quod ex baculo inceſſuq; licet colligere, huius inexpugnabilis Deæ ſimiliter eſſe myſta uideris. PODAGER. Sum equidem haud indignus, qui inter huius Deæ familiares annumerer. CHORVS. Cypriam Venerem à ſummo æthere inſtar ſtillicidij delapsã, elegantiq; forma compactam, inter maris fluctus dicitur educaſſe Nereus. Iunonem autem, elegantiſſimam quidem illam excelſi Iouis uxorem, ponè littus Oceani enutriuit Tethys. In ſui immortalis capitis cerebro cœlitum omnium præſtantiſſimus Iupiter Mineruam puellam illam animo intrepido genuit, atq; uigilantiſſimam. Hanc autem noſtram feliciſſimam Deam, ille ſenex Ophion, primam omnium teneris ſuis protulit ulnis. Dum enim adulterina illa lux prorſus euanuit, ſplendicansq; illuxit aurora, tunc podagræ uiſum eſt inualeſcere imperium. Siquidem ubi primum te peperit Megæra, ò Padagra, confeſtim Clothω te excipiens lauit: quo quidem tempore uniuerſum cælorum lumen arriſit, tranquillumq; æther uehementer intonuit. Dein uerò uberibus candidiſſimis opulentiſſimus Pluto non ſine maximo ſtudio te curauit alendam. PODAGER. Quibus igitur ceremonijs hæc Dea uult coli à ſuis ſacerdotibus? CHORVS. Non enim ex acie ferri effundimus cruorem exu-

berantem: non cæsarie circumuoluta gerimus reuinctam ceruicem: neque astragalis perstrepentibus terga percutimur: sicuti neque taurinas carnes edimus crudas. Cæterum ubi ulmus ineunte Vere suos teneros producit flores, cossyphusq; obstrepera ramis insidens incipit iam garrire, per nostra tunc misera membra penetrat longè acutissimum telum: telum inquam, obscurum, incognitum, latens, in ipsisq; imis delitescens particularum sinibus. Quod quidem pedes, genua, cotylas, malleolos, coxendicem, fœmora, manus, scapulas, lacertos, ulnas, carpos, depascit, edit, urit, uincit, deijcit, inflammat, ac labefacit, donec ipsius clementia Deæ iubeat malum & dolorem facessere. PODAGER. Latui ergo ipse tam diu, in huiuscemodi sacrificijs uestris uel maximè exercitatus? Faxint superi, ut posthac se mihi Dea mitē exhibeat. Volo siquidē unà uobiscū, ò Mystæ, podagricos ordiri hymnos & cantilenas. CHORVS. Sile tu æther, & reprime flatus. Podagrici autem omneis, laudibus ipsam Deam extollant. Ecce iam accedit ad aras illa quæ inter omnes Dæmonas maximè stratis gaudet, baculo basim sustinens. Salue Dearū omnium mitissima, sacrificisq; tuis uultu hilari adesto, ut Verna hac tēpestate acerbissimi dolores soluantur. PODAGRA. Ecquis mortalium ignorat, me inexpugnabilem esse dolorum dominam, quæ neque thuris suffitu placatur, neque iuxta uictimas & holocausta sanguine effuso, sicuti neque donarijs pretij exquisiti in

templo suspensis meo? Quippe neque Apollo Deorum omnium qui in cælo sunt, medicus expertissimus, nec sapientissimus eius filius Asclepius, suis pharmacis me unquam uincere est potens. At ubi primùm pullulauit hominum genus, omnes simul potentiam meam & maiestatem prosternere ac deturbare conantur, uarias semper comminiscentes medicamentorum misturas. Alius namq; aliam aduersus me adstruit technam. Contundunt siquidem mihi plantaginem, apium, folia lactucæ, necnon portulacam syluestrem. Alij autem marrubium, alij potamogetonem, alij urticam, alij consolidam conterunt. Sunt qui palustrem lenticulam congerant. Sunt qui pastinacam decoctam. Hi rursus commendant persici folia, hyoscyamum, papauer, bulbum, corticem mali Punici, psyllium, thus, ueratri radicem, nitrum, fœnum Græcum ex uino, gyrinem, collamphacum, nuces cupressi, hordeaceam farinam, excoctæ brassicæ folia, gypsum ex garo, syluestris capræ excrementa, stercus humanum, lomentum fabaceum, ac denique asij lapidis florem. Coquunt præterea rubetas, araneos mures, lacertas, mustelas, ranas, hyænas, tragelaphos, atq; etiam uulpes. Quod insuper metalli genus non reuocarunt mortales ad experimenti periculum? Quem non succum? Quam non arboris lachrymam? Porrò ex animalibus uniuersis, ossa, neruos, cutim, adipem, sanguinem, medullam, urinam, stercus, atque ipsum lac, sumunt ad conficienda me-

dicamenta. Hi igitur hauriunt pharmacum diatessaron, hoc est, ex quatuor medicamentis conflatum: illi quod ex octo componitur. Plurimi quod ex septem tantùm compingitur. Alius epota hiera purgatur. Alius carminibus impostorum illuditur. Stolidum iudæus alium excantat. Hic à balneo petit præsidium. Quibus equidem omnibus luctum & suspiria polliceor. Eos siquidem qui talia moliuntur, quiq; me lacessere & iritare non desinunt, multo atrocius agitare consueui. Contra uerò, ijs qui mihi neutiquam reluctantur, benigniorem tractabilioremq; me exhibeo. Porrò quibus mysteria nostra sacra communicamus, confestim eleganter loqui docentur. Quo fit, ut maximo sint suis necessarijs oblectamento, dum lepida quædam dicteria, facetosq; sermones effutiunt. Taceo mouere eos maximum applausum & risum, dum nudi exportantur ad balneas. Ate igitur illa Dea, cuius Homerus meminit, ipsa ego sum. Quæ quidem per hominum carnem serpens, in basi pedum molliuscula delitesco. Vnde apud mortalium plurimos nomen est mihi Podagræ, nimirum quum existam pedum captura. Sed quid cessatis uos interim, ministri meorum sacrificiorum? quin potius uestris hymnis effertis inuictam atque insuperabilem Deam?

CHORVS. O uirgo animum possidens adamantinum, fortissima, potentissimaq; omnium Dearum, clamori & precibus tuorum sacrificorum

tuas quæsumus aures accomoda. Magna etenim est tua uis, ò Regina, quam uel ipsa Iouis horrent rapidissima fulmina, tremunt profundissimi maris fluctus, pertimescitq; Pluto, inferorum maximus ille Imperator. Accomoda inquam nostris uotis tuas aures, ò gaudens uinculis, lectigrada, cursimorans, talinocua, calcitorrens, humifuga, cochlearitimida, noctugenufraga, articulotortrix, genucuruiflexa Podagra. NVNCIVS. Opportunè quidem uenisti obuiam, ò Domina. Audi sermonem haud quaquam friuolum, sed cui res ipsa comes adiungitur. Equidem, ò Regina, urbes ipsas (ut imperasti) tranquillo gressu perlustrans, singulas perscrutabar domos, nimis anxiè scire desyderans, esset ne aliquis, maiestatem qui tuam istam non suspiceret, atque ueneraretur. Aliorum igitur omnium, quos uiolentia manuum tuarum in tuam seruitutem iam superatos redegit, noui animos deditissimos tibi, ab omniq; tumultu ac seditione remotos. Hi autem soli duo uiri, certè admodum temerarij, prædicabant populis, imò uerò etiam iurabant, tuam celsitudinem neutiquam uenerandam esse, sed exterminandam potius è uita mortalium. Quamobrem, uinculo adamussim coarctans pedes, diebus'q; quinis integra duo stadia conficiens, ad te festinanter accedo.
PODAGRA. O quam celeriter aduolasti, inter omneis agilissime nuncios. Dic mihi tamen ex cuius regionis finibus huc te conferas: clareq; explica, ut celeritatem cursus intelligam.

NVNCIVS. In primis enim præterij septem graduum scalam, trementem quidem illam, ob dissolutam lignorum compagem. Qua quidem absoluta, in asperrimam aream incidi, asperitate sua magnopere renitentem incessui. Eam igitur iam plantis exasperatis similiter quum transegissem, excepit me denuo salebrosa silicataq; uia, difficilis peragratu, ob scrupulos quibus erat oppleta. Post quam quidem in aliam lubricam incidens, ulterius pergebam: cœnum tamen solutum, contendenti mihi pedem fragilem retrahebat. Qua sanè transeunti, præ lassitudineq; anhelanti, mihi per membra uniuersa uapidus quidam sudor manabat. Ab ea itaque tandem iam absolutus, totoq; exolutus corpore, in aliam incidi uiam, latam quidem, sed plurimis refertam periculis. Varia siquidem hinc indeq; uehicula, urgebant, cogebant, impellebant ad cursum. Ego uerò ex pigris pedibus agiles & leues reddens, in obliquum, angustumq; me subducebam iter, donec uelox transiret quadriga. Tuo etenim sacerdoti existenti, non licebat mihi uelociter currere.
PODAGRA. Haud incassum, ò præstantissime, tam rectè gessisti negotium tibi commissum. Nã ob singularem istã tui animi promptitudinem, & ipsa parem gratiam rependam. Atque adeò iam apud me constituo, ut hoc triennio quod instat, omnes tibi dolores minuantur. Vos autem ò Viri pessimi, Dijsq; hostes capitalissimi, qui tandem ipsi existentes, aut ex quo genere nati, cum Poda-

græ maiestate & imperio contendere non erubesci-
tis, cuius uim ne Iupiter quidem ille Saturnius un-
quam uincere potuit? Quid conticescitis uiri scele-
ratissimi? Nonne ex heroibus quàm plurimos ip-
sa subegi, ut monumenta sapientium apertissimè
contestantur? Priamus siquidem, ille uir cursu ce-
leber, torquebatur podagra, ac simul eius nomen
per uniuersum orbem celebrabatur. Pelides etiam
Achilles nonne podagra correptus interijt? Belle-
rophontes item uexatus podagra, præstantissimus
habebatur. Iam uerò Oedipus ille Thebanorum
præfectus, nonne & ipse podagricus fuit?
Similiter erat podager Pelopides ille Plesthenes.
Quin etiam filius Pæantis existens podager, non-
ne fuit dux & præfectus totius expeditionis?
Alius præterea uir cursu præstans, Thessalorum
erat præfectus. Qui quidem postea quàm Protesi-
laus bello succubuit, quanquam correptus podagra,
nihilominus electus est dux totius expeditionis.
Laertiadem etiam Vlyssem, Ithacæ illum Impera-
torem, ego ipsa peremi, haudquaquam spina pa-
stinacæ marinæ. Hæc itaq; quum sic habeãt, ô infeli
cissimi, petulantiam uestram haud sanè impunè fe-
retis: quandoquidem flagitijs uestris parem ipsa
punitionem adijciam. MEDICI. Re uera nos
Syri sumus, ô Domina: genere autem Damasceni.
Qui quidem magna circumuenti fame & inopia,
per mare ac terras oberrantes discurrimus. Habe-
mus autem huiuscemodi unguentum, quod à patre,

ceu myſterium quoddam, acepimus, quo quidem mitigamus euidentiſſimè laborantium dolores.

PODAGRA. Quod nam unguentum eſt iſtud? aut quæ ipſius eſt compoſitio? MEDICI. Myſticum iuſiurandum quod fecimus, ultimum'q; moribundi patris præceptum, nos cogit, ut id minus aperiamus tibi. Moriens ſiquidem imperauit pater, ut huius pharmaci uim, quæ efferatam excandeſcentem'q; te ſolet etiam compeſcere, prorſus occuleremus. PODAGRA. Quid ò flagitioſiſſimi, male'q; perditi nebulones? datur ne ullius pharmaci tanta uis aut facultas, quæ poſſit meum impetum & uiolentiam coercere? Eſto tamen ut dicitis. Experiamur iam nunc, utrum nam ſit præſtantius, pharmacum ne iſtud ueſtrum, quod circumfertis: an flammæ, quibus uti conſueui. Heus uos cruciatus triſtiſſimi, iracundiæ'q; meæ fideliſſimi apparitores, huc undique aduolantes accurrite. Propius accedite. Tu igitur acriter plantas pedum inflamma, penetrans uſque ad extremos digitos. Tu autem malleolis ipſis te immiſce. At tu à fæmoribus orſus, ad ſubiecta genua ſaniem amarulentam inſtilla. Vos denique digitis manuum inſerti, eos flectite & reddite incuruos.

CRVCIATVS. Iam fecimus quæ iuſſiſti, ò Regina. Iam iacent miſeri acriter uociferantes, nimirum uniuerſa membra compuncti.

PODAGRA. Agite ò Viri exteri, uideamus nunc accuratè, an pharmacum iſtud ueſtrum

illitum, aliquem uſum adferat, iſtam ad arcendam calamitatem, quæ uos diuexat. Nam ſi intellexero id aduerſus me aliquid habere momenti, confeſtim hanc ſuperficiem linquens, ad penetralia terræ, profundiſſimaq; illa orci barathra, nunquam reditura me conferam. MEDICI. Ecce iam unximus, & nihilominus igniti perſeuerant affectus. Heu, heu, papæ, diſcrucior miſerè, pereo funditus, uniuerſa mihi membra punguntur, transfiguntur, & perforantur, malo quodam inopinabili. Non enim altitonans Iupiter tale poſſidet telum. Nulla certè maris talis fluctuatio, aut tempeſtas: neq; procelloſi turbinis tantus impetus. Num igitur me nunc uorat aſperrimus ille rabidusq; Cerberi morſus? Num uirus aliquod uiperæ me depaſcit & populatur? Num peplum aliquod Centauri cruore imbutum? Miſerere, miſerere, ò Regina: quandoquidem neque meum, neque aliud pharmacum ullum poteſt inhibere tuum curſum. Tu enim ſola, ſuffragijs ominum, ſuperas uniuerſum mortalium genus. PODAGRA. Ceſſate ò cruciatus, remittiteq; dolores ijs, quos pœnitet contentionis aduerſus me initæ. Cæterùm hoc uniuerſi norint, me ſolam omnium eſſe intractabilem Deam, minimeq; facultatibus medicamentorum parere.

CHORVS. Impetus Salmonei, haud ſuſtinere potuit Iouis tonitrua. Nam ardente ipſius Dei fulmine comminutus, confeſtim animam exhalauit. Nec retulit uoluptatem ex contentione ad-

uersus Apollinem satyrus ille Marsyas. Nam pinus de illius pelle stridulum quiddam resonat. Luctum perpetua dignum memoria ex lite nacta est illa fœcundissima Niobe: quæ quidem etiamnum lugens, suis lachrymis Sipyleum montem humectat. Mæonia Arachne ad certamen preuocauit Mineruam: uerum propriam formam amittens, uel nunc cogitur fila texere. Ferocitas siquidem, uel temeritas hominum, non est par iracundiæ Diuorum, ut Iouis, Latonæ, Palladis, & Apollinis Pythij. Tu ergo ò Podagra, quæ acriter in omneis grassaris, adfer nobis dolores blandos, leues, mites, obtusos, breues, dulces, nō onerosos, sed qui minimè deambulatioem inpediant. Sunt porrò plures formæ infelicium. Exercitatio autem, & consuetudo laborum, podagricos consoletur. Quare æquo perferte animo labores istos, quotquot in hac nauigatis cymba, etiam si iuxta spem uestram ipsa res non euenerit: nam ad ea quæ præter hominum opinionem sunt, Deus certè uiam inuenit. Boni etiam consulant quicunq; podagra sunt correpti, uel si fuerint & irrisi, & excepti scommate. Natura namq; huius tragœdiæ est talis.

FINIS.

